



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

VIII. Præfatiuncula in Pontificum & Imperatorum Diplomata, eorumq[ue]
causa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

CAPVT VIII.

Præfatiuncula in Pontificum & Imperatorum diplomata, eorumq; caussa.

NT autem cunctis liquidius enitescat, qua vigilantia vir beatissimus nouellæ suæ Ecclesiæ bona pacis & tranquillitatis etiam per succedentia tempora prouiderit, aliquas hic tam Episcoporum, quam Regum inferimus confirmationis Epistolas: ut, quia duo sunt, quibus hic mundus principaliter regitur, Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, ex utroq; horum suffulta à dextris & sinistris, ab omnium molestia infestationum securè monstratur in perpetuum defensa. Dicente enim Domino Salvatore; duos Ecclesiæ gladios sufficere, quorum vnus ad diuisionem animæ ac spiritus penetrat; alter inflexibilia & dura corda rigore suo domat & premit: quidquid eorundem gladiatorum iure hinc inde munitur; constat profectò, quod nullius mali incurfione ab status sui rectitudine labefactetur. Prius tamen hic chartam Ottonis* tertij Imperatoris præscribimus, ut scire uolentibus, qualiter ipse locus Babenbergenfis in ditionem sancti Regis obuenerit, ex eadem conscriptionis pagina colligatur.

Duo Ecclesiæ gladij. Luca 22.

Error librarij: necessario Othoni II. hoc diploma tribui debet.

CAPVT IX.

Diploma Othonis Imperatoris.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Otto diuina prouidentia Imperator Augustus. Nouerint omnes nostri fideles præsentis scilicet & futuri, qualiter nos ob interuentum dilectissimæ genitricis nostræ Adelheide caræ nepoti nostro Bauariorum Duci HEINRICO quoddam iuris nostri prædium, ciuitatem uidelicet Babenberc nominatam, cum omnibus ad hanc respicientibus, & Nemkin Vraha in comitatu Bertholdi Comitris Volckfelt, nuncupato, sita,

B 3 nostra